



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**


### **Oratio Apologetica Pro Defensione Professionis Orthodoxæ Fidei Ivxta Decretvm Concilii Tridentini Editæ**

**Franck, Caspar**

**Ingolstadii, 1581**

**VD16 F 2054**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31415**



~~724~~

J 372.



ERZBISCHÖFL.  
AKADEMISCHE  
BIBLIOTHEK  
LEOSTR. 21  
PADERBORN

4

ORATIO APOLOGETICA  
PRO DEFENSIONE  
PROFESSIONIS ORTHODOXÆ  
FIDEI IVXTA DECRETVM CON-  
CILII TRIDENTINI EDITÆ; DE DIVINIS,  
Apostolicis & Ecclesiasticis Traditionibus,  
deque earum sacrosancta vi &  
authoritate,


ADVERSUS DETESTABILES ET  
*putidos Hereticorum, præsertim MARTINI  
CHEMNITII errores, atque  
calumnias:*

Conscripta & recitata in celebri INGOLSTA-  
DIENSI Academia,

A  
CASPARO FRANCO S.  
THEOLOGIÆ DOCTORE ET  
*Professore ordinario.*


INGOLSTADII  
Ex Typographia DAVIDIS SARTORII.

Anno M. D. LXXXI.



REVERENDISSIMO  
IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,  
D. FELICIANO EPISCOPO SCALENSI,  
nec non S. D. N. GREGORII diuina prouidentia  
PAPÆ XIII. Sedisq; Apostolicę Nuncio cum  
potestate Legati de latere, &c.

Salutem & foelicitatem sempiternam.

 *INGVLARIS* & omnibus  
perspecta humanitas tua,  
cum eximia & rara pie-  
tate atq; eruditione con-  
iuncta, Prasul Amplissi-  
me, tantum mihi addidit  
fiducia, ut orationem hanc Apologeticam Re-  
uerendis. Pat. T. debita reuerentia consecra-  
rem, & hoc qualicumque literario munusculo  
animi mei obseruantia erga illam publicę con-  
testatam redderem.

Cum enim sacrosanctam Christi Eccle-  
siam nunquam cesset ab initio incipiens huma-  
ni generis acerrimus hostis concutere, & ad  
ruinam omni conamine impellere; non alie-  
num à meo esse munere sum arbitratus, in tot  
tantisq; rerum difficultatibus, & Christiana  
A 2 Rei-



## EPISTOLA

Reipub. commotione, perturbationeque, protenui mea parte Catholica Ecclesia contra peruersissimos hereticos, qui veluti è quodam inferorũ cœno, uti loquaces è palude rana ebullierunt, aliquid adiuventi afferre.

Quare cum pro fœlicis anni auspicio magni illud momenti nomẽ, videlicet CATHOLICVM, quod Aduersarij, quò plures à fide Orthodoxa auerterent, & in perniciosissimam suorum dogmatum sententiã, seu potius amentiam, traberẽt, publicis scriptis callidè sed frustra eripere nobis elaborãrunt, duabus conscriptis Concionibus in Germania charissimã patriã nostrã, variarum opinionum contagione miserè fœdeque labefactatã, salutem & communem utilitatem illustrarem, & à nefariis & detestandis calumniis vindicarem: Amicorum quorũdam pio studio, Orationem quoque hanc, pro defensione professionis Orthodoxæ Fidei, de Apostolicis & Ecclesiasticis Traditionibus, quã in celebri Ingolstadiensi Academia, in resignatione Magistratus Academi-  
ci publicè habui, in lucem edere, & sub tuo amplissimo

DEDICATORIA.

plissimo patrocínio prodire volui. His enim probè explicatis & patefactis, nihil mihi quidem videbatur Catholica Ecclesia hostibus relictum esse loci, aliquo iure de cæteris omnibus Ecclesiasticis dogmatibus dubitandi. Quanta verò & quali testimoniorum vi, ex seriis illis & firmissimis diuina legis & antiquorum Patrum monumentis & propugnaculis, hoc à me sit effectum, tuum sit nunc, Antistes, sanctæq; Apostolica Sedis Legate dignissime, prudens sincerumq; iudicium.

Cum enim Sacro & Diuino nutu S.D.N. GREGORII XIII. qui non tam nomine, quam rebus ipsis, quanta ad profectum fidelium sint vigilia, ostendit, summa cum authoritate summaq; prudentia & pia moderatione Legatum in Germania agas, principemq; locum obtineas; nemo mihi occurrit, cuius tutela & patrocínio tutius & melius, qualescunque labores & conatus meos Reipub. causa susceptos, commendare debuissim. Tu enim eos, quorum cura cogitationesq; in studiis iuanda Christianæ religionis consumuntur, incredibili pro-

A 3      seque-

## EPISTOLA

sequeris benevolentia, eorum honestissimas vo-  
 luntates promoues, iis faues, eos amas: Ii tibi  
 cordi sunt, quibus Christus cordi est: Eos ha-  
 bes charissimos, quibus animarum salus chara  
 est; eos ornandos & amplectendos arbitraris,  
 qui & salubri doctrina & vitæ integritate  
 præesse aliis student: Totus deniq; præstantissi-  
 ma virtute tua in eam rem incumbis, quæ Ec-  
 clesie salutem, & summam tibi allatura sit di-  
 gnitatem & immortalē nominis gloriam.  
 Nec iniuria: Hoc enim verū Apostolicæ Sedis  
 Legati officium est: Hoc collapsam fidem resti-  
 tuit, veteris disciplina seueritatem reducit,  
 pristinam concordiam & dulcissimam pacem,  
 quam ille salutis humane inimicus annos nūc  
 ferè totos sexaginta & amplius dissoluit, dissi-  
 pauit, dirupit, piè ac sanctè coagmentat, in-  
 staurat, Christi q; vinculo conglutinat: Hoc  
 infirmū quod est, consolidat, agrum sanat, con-  
 fractum alligat, abiectum reducit, perditum  
 inuenit: Hoc tandem summo gaudio non modò  
 terras, sed ipsum cælum implet.

Quod igitur superest, à Reuerendissima  
 Cels.

## DEDICATORIA.

*Cels. T. reuerenter & submissè peto, ut hoc voluntatis meae monumentum, quod tenuit as nostra curtaq; supellex suppeditat, ea animi pietate, qua sacrosanctam fidem Catholicam amplectitur, illaq; vultus hilaritate, qua de omnibus benè mereri cupit, benignè & clemēter suscipiat, atque Francum clientulum suum, pristina beneuolentia constanter prosequi pergat.*  
*Deus Opt. Max. Amplit. T. quàm diutissimè Ecclesia sua incolumem conseruet, eiusq; rectissima consilia, diuina sua gratia adiuuet, promoueat & dirigat ad nominis sui sempiternam gloriam, & multarum animarum aeternam salutē. Data Ingolstadij, in die SS. Martyrum Fabiani & Sebastiani, Anno 1581.*

Reuerendis. Patern. V.

ad omnia obsequia semper  
ex animo

deditissimus

CASPAR FRANCVS S. Theol.  
Doct̃or, Protonotarius Apostolicus,  
& apud D. Mauritium ibidem  
Parochus.

Ad eundem

REVERENDISSIMUM  
NUNCIVM, &c. EPIGRAMMA

M. IOANNIS ENGERDI SS. THEOLOG.  
Baccal. P. L. & Professoris.

**N** TIBI quod FRANCVS sacris tutamen in armis  
CHEMNITIVM contra, centū geminūq; LVTHERVVM,  
Hæreticasq; acies sine lege & more furenteis,  
Mittit, in aduersos dux imperterritus hostes:  
Quod tutamen enim? sunt propugnacula CHRISTI  
Cælituum, quondam (summo dum lapsus Olympo,  
Vnum pro cunctis moritur caput, antè malorum  
Victor ADÆ) comitum; qui sancta orâcla Magistri,  
Non atramento tantum, sed voce manuq;  
Sacratu infusa animis, & tradita ab vno  
Tempore in atates misère fideliter omneis.

Accipe, magne Pater: tibi sunt munimina quanquam  
Antè satis tuta, & pugnandi cominus arma:  
Improuisa tamen celerant socia arma triumphos.

Non equidem extimui paruum tibi ducere carmen,  
Nomine quòd tanto mitrati Præsulis ingens,  
ROMANIq; Patris Germanum missus in orbem  
Ingens Legatus, pietate ingentior heros,  
Fortia facta geras, animisq; & mole tua stes  
Cadmæos fratres Cyclopeaq; agmina contra:  
Sed tuam e Virtus, tua terris in chya Fama  
Didita Teutonicis, & fortunata laborum  
Religio, Pietasq; ardens egere volentem.

Vive, decus magnum Boiis superaddite templis,  
Vive diu, nostriq; memor, fer ad æthera nomen.

ORATIO



ORATIO APOLOGETICA

PRO DEFENSIONE  
IURAMENTI PROFESSIONIS

ORTHODOXÆ FIDEI IUXTA DECRE-  
tum Concilij Tridentini editæ, de Apostolicis &  
Ecclesiasticis traditionibus.



QV M VETERV M monumenta perlu-  
stramus & euoluimus, præteritiq; tem-  
poris memoriam iam inde ab initio na-  
scentis Ecclesiæ ad hunc vsq; diem reco-  
limus (Illustrissime Princeps, Illustres  
Comites, Generosi Barones, Admodùm Reuerēdi pa-  
tres Academici, cæteri que Auditores humanissimi &c)  
tria hostium genera veritati Euangelicæ & religioni  
Catholicæ, inter ipsa crepundia, bellum acerrimum &  
implacabile indixisse, reperiemus & colligemus: Pri-  
mum Tyrannorum, qui crudelitate & gladiis armati,  
inauditis tormentorum generibus homines ab illa re-  
uocare, & Christi sanctissimum nomen delere, & fundi-  
tus euertere conati sunt: Alterum eorum, qui Christia-  
næ doctrinæ puritatem, sicut improbissimi illi senes Su-  
fannæ pudicitiam vitare atq; corrumpere studuerunt:  
Tertium eorum, qui, auctore Apostolo, veritatem Dei  
in iniustitia detinuerunt, hoc est, illorum, qui prauis  
moribus, & perdita vita vim etiam veritati nefariè intu-  
lerunt. Quamuis verò hoc hostium genus atrocissi-  
mum fuerit, quod Ecclesiæ sanguinē semper exorbere,

*Tria hostium  
genera contra  
Ecclesiam.*

*Rom. 1.*

B

&

O R A T I O

& illas suas passim secures cruentare cuperet; eorum tamen est hominum longè atrocius atque crudelius facinus, qui in Ecclesia nati, ex illius visceribus progressi, in eius gremio atque sinu educati, in illius schola eruditi, eiusque saluberrimis præceptis instituti, ab illa turpiter defecerunt, & in sanctissimam piissimamq; matrem contumeliosi, insanis erroribus tranquillitatem illius pacemque turbârunt, & charissimos ipsius liberos, illa miserabiliter flente & collachrymante, ex eius dulcissimis complexibus abstulerunt, & callidè seduxerunt. Rapiebantur quidem illi à Tyrannis, qui Christo nomen dederant, ad tribunalia iudicum, tractique ad carnificinas, opprobriis & contumeliis affecti, vexati, torti, indicta causâ condemnati, ad supplicia crudelissima deducebantur. Sed ô res stupore & admiratione dignissima; vexata tunc & crudeliter dilacerata Ecclesia, inter ipsas tamē carnificum cruentas manus nuda inermisq; coniecta, maiora indies suscipiebat incrementa; & illorum, qui pro Christo mortem oppetebât, effuso sanguine, veluti sparso semine noui Christiani nascebantur, vt mihi quidem sapiēter Tertullianus, Martyrum sanguinem Christianorum semen appellasse videatur, & Augustinus, qui incomparabiliter pulchriorem esse dixit Euangelicam veritatem, Græcorum Helena, pro qua multò fortiùs martyres cōtra Sodomam, quàm pro illa Græci aduersùs Troiam, strenuè dimicârunt & fortiter certârunt. Prætereà nec vlla vitæ improbitas, aut veteris disciplinæ dissolutio, aut Ecclesiæ deformata facies, tantum tamque irreparabile damnum vnquam illi intulit, aut vineã Domini adeò deuastrauit, quàm hæresis, q̄ latiùs se diffundit, acutiùs penetrat, tenaciùs inhæret, atq; ideò difficiliùs curatur.

Q V O D

*Tertull. in Apologetico contra gentes.*

*August. ad D. Hieron. epist. 9.*

DE TRADIT. APOSTOLICIS.

QVOD cùm ita sit, summo studio, diligentia, labore & vigilantia elaborandum est, vt in primis in Scholis & Academiis fides Catholica & Apostolica inuiolata, & pura sedulo tradatur & ad posteros transmittatur: Illæ enim veluti pietatis & veritatis seminaria atque sedulæ alumnae & conseruatrices doctrinae cœlestis, diuinitus sunt institutæ, vt Ecclesiæ & Reipublicæ ex eis incrementum capiant, atque vtilitatem, vt infinitum, nec vllò tempore periturum thesaurum consequantur, quem nec ærugo, nec tinea demolitur, neque fures effodiunt, aut furantur. Nam mille clypei dependent ex illis & omnis armatura fortium; Timorque Domini, sine quo vera religio & Catholicae fidei puritas nullibi reperitur, sapientia est initium, vates inquit sapientissimus.

*Academia seminaria sunt pietatis.*

*Matth. 9.*

*Cant. 4.*

*Psal. 110.*

*Eccles. 1.*

HINC maiores nostri & Ecclesiæ proceres, hanc fidei puritatem scientiis ac doctrinis quibuslibet tùm tradendis tùm addiscendis, tanquam necessariam basin constituentes, & ne simplicia nonnullorum ingenia in naufragos blandientium hæresum scopulos imprudenter impingerent, occurrere cupientes, pio & utili consilio salutariter instituerunt, vt Gymnasiorum Rectores, Doctores, Professores, promouendi, priusquam ad rerum gubernacula vel dignitates eueherentur, fidei & religionis Catholicae expressam professionem ederent, & quod corde crederent ad iustitiam, secundum D. Paulum, ore confiterentur ad salutem: Quod & hactenus in Catholicis Academiis (quas, vt similia, nouatores imitari conantur, & suos in verba magistrorum iurare cogunt) obseruatum esse, omnibus est exploratum. Hac enim ratione fides à perfidia, lux à tenebris, veritas à

*Rom. 10.*

*Cur fidei professio exigatur.*

*2. Cor. 6.*



*Apocal. 3.*

mendacio, Christus ab Antichristo, calidi vel frigidi à tepidis dignoscuntur, & secernuntur.

*Propositio hu-  
ius orationis.*

CUM igitur superiori anno in hac Catholica & inclita Academia, quæ, ut Lilium inter spinas, dulcissimum spirat odorem, quæ, ut turris firmissima inter medios inimicos collocata, ob Euangelij constantiâ, æternam & immortalem meretur laudem & gloriam; illam Professionis Fidei nostræ partem, quod scriptura sacra iuxta vnanimem consensum Ecclesiæ & Patrum accipienda & interpretanda sit, cōtra sectarios defenderim: Non alienum esse ab hoc loco, à vocatione atque officio meo sum arbitratus, si, Spiritus sancti auxiliante gratia, pro defensione orthodoxæ religionis, de Apostolicis & Ecclesiasticis traditionibus, quæ atramento mortuo in sacris codicibus non inveniuntur, in hoc Auditorū confessu augustissimo aliquid proponerem, & an illæ firmissimè credendæ, recipiendæ, admittendæ, & amplectendæ sint, quantum in me esset positum, perspicuè ac breuiter, ex sacra Scriptura, totiusq; Catholicæ Ecclesiæ cōsensu, confirmarem. Vos, Auditores humanissimi, obsecro & obtestor, ut de re tam utili, tam necessaria, tam iucunda, quæ caput & fundamentum est Apostolicæ doctrinæ, sine qua religio consistere non potest, ut quam si quis tolleret, solem ipsum de mundo sustulisse videretur, qua soletis cæteros attētionē & benevolentia, nunc etiam me dicentem excipiatis.

*2. Thessal. 2.*

QVOD D. Paulus, vas electionis, Magister gētium, Apostolorum tuba, terrarum præco, Theisalonicenses suos est hortatus, id sibi quisque nostrum, quicumq; veri Dei verus cultor esse cupit, seriò dictum existimet; State, inquit, & tenete traditiones, quas accepistis, siue per  
fermo.

sermonem, siue per epistolam nostram. Et in eo, quod proximè sequitur, capite: Subtrahentes vos ab omni fratre ambulante in tenebris, non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis: His namque verbis nos, qui Apostolorum verbis in hæremus, etiam atque etiam paternè adhortatur, vt quicquid nobis siue per epistolam scripto relictum, siue per sermonem, id est, viuæ vocis oraculo, viuus credentium cordibus olim per Apostolos inscriptum, & per Christi Spiritum in Ecclesia continua successione traditum est, sedulò suscipiamus, sacrosanctum habeamus, æternumque custodiamus. Illud enim est, quod falsarum opinionum temeritatem diripit, omnem inanitatem & errorem amputat & circumcidit, hæresum fibras euellit, stirpes elidit, semina extinguit, vt diuino illo thesauro nihil possit esse pulchrius, nihil præclarius, nihil denique diuinius. Vnde & alio in loco ad Timotheum scribens Apostolus: O Timothee, inquit, depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates. Quod Tertullianus author peruetustus, de doctrina viua voce tradita optimè intellexit: Traditiones per viuam vocem, scribit, doctrinæ Ecclesiasticæ appellabat Apostolus Depositem. Omnia enim fidei dogmata ab Apostolis accepit Ecclesia, vel scripto, vel verbo, & viua voce, nec omnia, quæ ipse Christus & sancti Apostoli dixerunt, fecerunt, instituerunt, in aliquo diuini codicis libro literis continentur. Testantur hoc euidentissimè quatuor Euangelistarum libri, in quibus multa, quæ vel Christus diuino ore suo protulit, vel sapientissimè & miraculosè fecit, omittuntur, & si scriberentur singula, nec ipse mundus capere ea posset.

2. Thessal. 2.

Vfus traditionum Apostolicarum.

1. Timoth. 1.

Tertull. de præscript. hæres.

Ioann. 21.

O R A T I O

*Actor. 1.*

TESTATUR Lucas in Apostolorum Actis, quòd Christus per dies quadraginta apparuit Apostolis & discipulis, in multis argumentis loquens de regno Dei: Et tamen Euangelistæ vix quinque vel sex verba referunt tam frequentium, & dulcissimorum sermonum.

*Actor. 15.  
1. Cor. 11.*

TESTANTVR ipsæ Apostolorum epistolæ, qui quamuis sua prædicatione orbem terrarum impleuerint, & multas Ecclesias erexerint; pauca tamen literis comprehenderunt, & millies de tradita doctrina suos admonuerunt.

*Basil. de Spir. S.  
cap. 27.  
Augustin. lib. 7.  
de Trin. cap. 4.*

TESTANTVR denique & præclari fidei nostræ articuli, quorum nulla in sacra scriptura expressa fit mentio: Quæ enim simplex scripturæ litera sacrosanctum & ineffabile illud Trinitatis, illarumque trium personarum nomen nobis expressit? Quæ infantes lauacro regenerationis & salutari aqua perfundi docuit? Quæ Euangelia sanctissimo Christi ore prolata Euangelistarum esse vera & propria proposuit? Quæ ab Apostolis Symbolum esse confectum scribit? Quæ Mariam perpetuò virginem fuisse (quod tamen Zuuinglius ex septimo Esaiæ capite ineptè & prorsus temerè comprobare nititur) liquidò demonstrat? Quæ nos docet, vt in omnibus Christianorū templis crucifixi simulachrum, tanquam vnicū humane salutis insigne atq; trophæum, poneretur? Et, vt taceam reliqua, non profectò ex aperta & nuda Euangelicæ historiæ litera, sed ex Apostolica traditione, vt inquit D. Basilius, illa habemus: Et, vt D. Augustinus testatur; Nos Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse tres personas dicimus, non quia scriptura dicit, sed quia scripturæ non contradicit. Hinc D. Epiphanius aduersùs eos, qui se Apostolicos vocauerunt,  
literis

DE TRADIT. APOSTOLICIS.

literis memoriæque prodidit: Oportet, ait, traditione uti: Non enim omnia à scriptura sacra accipi possunt. Quapropter aliqua sacris scripturis, aliqua traditione sancti Apostoli nobis commendârunt; quemadmodùm dicit S. Apostolus: Sicut tradidi vobis; Et alibi: Sic doceo & tradidi in Ecclesiis, & sic continetis, qua ratione prædicauerim vobis, nisi frustra credidistis.

*Chemnitius cor-  
rumpit hæc Ver-  
ba D. Pauli in  
Examine suo  
Conci. Trident.  
fol. 175.*

*1. Cor. 1.  
Chrysof. hom.  
4. in Epistol. ad  
Theff.*

SIC ET aureum illud os D. Chrysofomus hisce verbis supra Apostoli locum, quem primò adduximus, pulchrè scribit: Hinc patet, quòd non omnia per Epistolam, sed multa etiam sine literis Apostoli Christi tradiderunt, quod alibi sæpe meminit Apostolus. Eadem verò fide digna sunt, tam illa quàm hæc: Itaque traditionem Ecclesiæ fide dignam putamus. Traditio est, nihil quæras amplius.

IDI P S V M Dionysius Areopagita martyr, & diui Pauli discipulus longè ante hos patres testatus est: Eloquia diuina, inquit, duplicis esse generis; quædam in sacris & Theologicis libris nobis commendata, & alia præterea, quæ ex animo in animum, medio interueniente verbo, corporali quidem, sed quod carnis sensum penitus excedat, sine literis transfusa. Siquidem primi illi nostri sacerdotales duces, summa illa & super-substantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus, nobis tradiderunt: Et vtraque hæc, ut ait D. Augustinus, autoritatis priuilegio pollent, ita ut nemi-  
ni liceat priuato suo consilio, aut aduersùs scripturam aut aduersùs vniuersalem huiusmodi traditionem aliquam temerè obniti. Imò, sicut præuaricatores diuinarum legum; ita cõtemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendos, canones edicunt.

*Dionys. de Eccl.  
Hier. cap. 1.*

*Aug. ad Casula  
presbyr.*

Q V I D

O R A T I O

*Basil. de Spir. S.  
cap. 27.  
Theodor. lib. 4.  
cap. 19.  
Socrates lib. 4.  
cap. 23.  
Gregor. in mo-  
nod.*

*Notent hæretici  
Vestigia Catho-  
licarum tradi-  
tionum.*

QVID D. Basilium, quem Theodoretus lumen mundi, Socrates columnam veritatis, Gregorius ille Theologus oculum mundi appellat, hîc referam? cùm apertissimis verbis scribat: Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recipimus, quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo iis contradicit, qui vel saltem modicam Ecclesiasticarum legum experientiam habet. Si enim aggredieremur, non scripto proditas consuetudines vel non magnam vim habentes reiicere; imprudentes etiam ipsis principalibus Euāgelij partibus damnum inferremus, imò potius ipsius Euāgelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus: velut verbi gratia, vt eius, quod primum ac communissimum est, primam mentionem faciam, figura crucis signare eos, qui in nomen Domini nostri IESU CHRISTI spem habent, quis scripto docuit? Ad Orientem nos conuersos esse, dum oramus, quæ Scriptura nos docuit? Inuocationis verba, dum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis Sanctorum scripto nobis reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Euāgelium mentionem fecit; sed & antè, & postea alia quædam dicimus, velut magnum robur ad mysteria habentia, ex doctrina scripto non prodita, assumpta. Benedicimus aquam Baptismatis, & oleum Vnctionis insuperque ipsum, qui baptisatur, ex quibus scriptis? nõne à tacita & arcana traditione? Hæc D. ille Basilus.

QVARE non temerè omnes orthodoxorum Doctores iam inde à mille quingentis annis, eodem propè loco, quo Scripturas, traditiones habendas existimârunt,

DE TRADIT. APOSTOLICIS.

runt, eas præsertim, quarum consuetudo confirmatrix (vt Tertulliani verbis vtamur) & Fides esset obseruatrix. Siquidem diuino Spiritu edocti, sciebant, viuas illas Apostolicarum institutionum aquas, & limpidissimos sacerdotium & paternarum traditionum torrentes, quibus ab infantia Ecclesiæ ad præsens vsque senium, perpetuo quidem diuini numinis ductu, tantum cœli & terræ lætitia, & humanarum animarum salute, vniuersus Christianus orbis irrigatus est, & semper quoque vsque ad mundi consumptionem (summo Deo fauente) irrigabitur, ex mystica illa petra deserti fluxisse, de qua scriptum est: Percussit petram, fluxerunt aque, & torrentes inundauerunt. Et alio in loco: Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit vobis aquas. Hinc D. Irenæus Lugdunensis Episcopus & φωστὴρ τῶν γαλατῶν ἐσπερινῶν, lumen Gallorum occidentalium, vt Theodoretus ait, cùm Florinum hæreticum Scripturis solis allatis non potuisset expugnare, pristinamque in viam veritatis reuocare, alteram admouit machinam, quæ perniciosum vesani hominis errorem pressius stringeret, latensque animi sinu pus virusque exprimeret atque extergeret, videlicet illorum doctrinam & traditionem, qui ab Apostolis, quæ à Domino dicta erant, coram audierant; quæ tamen omnia erant σύμφωνα ταῖς γραφαῖς consona Scripturis.

EODEM modo cùm reliqui Valentiniani ex Scripturis malè intellectis atque corruptis, perditissimas in Ecclesia disseminarent doctrinas; ad traditionem Apostolorum in toto terrarum orbe manifestatam sæpius recurrit.

C

ORIGE-

*Tertull. de corona militis.*

*Psalm. 77.*

*Numer. 20.*

*Dial. 2. in cat.*

*Eusebius lib. 5. cap. 20.*

*Iren. lib. 3. ca. 3.*

*Chemnitz<sup>9</sup> corrumpit Irenæum fol. 84. & præterit, quod de Valentinianis scribit: Eos neq; scripturis neq; traditioni consentire, lib. 3. cap. 2.*

*Origen. hom. 29.  
in Matth.*

*Cypria. in serm.  
de ablu. pedis.*

*Athan. in prin-  
cip. tom. 3. de in-  
carnatiōe Ver-  
bi Dei.*

*Idem in episto.  
de Synod. Ari-  
mini & Selen-  
tia celebratis.*

ORIGENES Christianorum Philosophiæ suo quidem tempore princeps, ut à Gregorio Nysseno appellatur, hæreticum eum pronuntiare non dubitat, qui aliud de veritate Christianæ Fidei credit, quam habet traditionis Ecclesiasticæ definitio. Diuus verò Cyprianus non minùs ratum esse dicit, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quam quod ipse Christus docuit: Nec ab eo dissentit Hieronymus, cum scribit: Multa, quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpare.

QVID ego hîc proferam Magnum illum Athanasium? qui, quoties illi res cum Arrianis erat, maxima parte traditionibus niti videtur; qui suadet etiam omnibus, ut traditam Fidem retineant, & tanti mysterij inquisitionem exhorreant. Profert etiam epistolam, in qua Patres in Synodo Arimini congregati, supplicant Imperatori, ne ad contumeliam mortuorum aliquid noui induci permittat, sed eos sinat in institutis decretisque maiorum permanere: Laudat etiam Patrum illorum piam prudentiam, qui tantum itineris laborem, tantaque maris pericula sustinuerunt, ut Patrum traditiones integras conseruarent. Quisque enim eorum sibi persuadebat, si solueret aliquid ex decretis maiorum, occasionem se daturum posteris, ut, quod ipsi egissent, rescinderetur. Vituperat contra grauius Eudoxij & Accicij temeritatem, qui honorem Patrum suorum Arianitarum studio ac gratiæ propinarent & proderent: Quæ enim fides, ait, in eorum actis, si decreta maiorum suorum soluant? Aut quomodo eos, quibus successere, Patres suos appellabunt, quorum sententias ipsi culpant?

DE

DE TRADIT. APOSTOLICIS.

DE IGNATIO viro verè Apostolico testatur Eusebius, quòd is docebat populos, vt cum primis hæreses recens exortas, magnoperè cauerent, & Apostolorum traditionibus tenaciùs ac diligentius inhærent.

*Euseb. lib. 3. cap. 30. hist. Eccles. Ignat. in epistol. ad Smyrnas.*

SED quorsum attinet plures hîc enumerare, qui illarum amore omnes vires suas nõ modò ad illas cognoscendas, sed exercendas, excolendas & propagandas contulerunt?

TESTANTVR hoc antiquissimorum Patrum ab ipsis Apostolorum temporibus, alia testimonia innumera, que recensere longum esset: At certè non temerè monet Tertullianus, aduersùs hereticos plus traditione, quàm scripturam habere viriù, & ex illis legitimum scripturæ sensum ostèdi, omnemq; cum hæreticis disputationem ad traditiones à maioribus acceptas, referri oportere. Quare vt partim demòstratum est, Irenæus Valentinianos, Athanasius Arrianos, Basilius Eunomianos, Epiphanius Apostolicos, Gregorius Nazianzenus Iulianum Apostatam, Hieronymus Luciferianos, Augustinus Donatistas pro hæreticis habet, legitimeq; damnat; quandoquidem omnes illi scripturæ verbis inhærentes, suo magis sensui crederent, quàm vt iudicio & traditioni Ecclesiæ obtemperarent.

SED ad rem ipsam propiùs accedamus, cumq; Nouatores nostri vel inuiti multa sine scripturis, quæ ipso- rum placent capiti, admittant, clarè ostèdamus, ea ipsa, quæ in Bulla Pontificis P I X I I I I. continentur, & nobiscum corde & ore vnanimiter Romana confitetur Ecclesia, Apostolicas & sacrosanctas traditiones esse.

*Chem. in Exam. fol. 323. part. 3.*

QVOS verò, Auditores ornatissimi, testes ab omnibus affectionibus remotos, reperire magis possumus,



O R A T I O

*Aug. lib. 2. contra  
Iulianum.*

*An Apostolica  
sint tradições,  
quæ in professio-  
ne fidei orthodo-  
xæ continentur.*

*Baptismus par-  
vulorum.*

*Consecratio fon-  
tis baptismalis  
& inunctio Chri-  
smatis.*

quàm sanctissimos Patres nostros? qui cùm ante tot sæ-  
cula mortalem hanc vitam cum beata illa & immortali  
commutauerint, literarum monumenta reliquerant, in  
quibus testatas & conscriptas animorù suorum senten-  
tias, de rebus hodie controuersis, ad nos transmiserunt,  
nihil vel gratiæ vel odio tribuentes, cum tanto sæculo-  
rum interuallo, inter quos hæc esset futura disceptatio,  
scire tum non potuerint. Vos itaque, ô vera & præcla-  
rissima mundi lumina, vos firmissima religionis Catho-  
licæ præsidia & propugnacula, qui & vitæ sanctitate, &  
doctrina, & miraculis claruistis, qui vestra dogmata san-  
guinis effusione confirmastis; quid vos de nouæ legis  
sacramentis, de ipsorum approbatis ritibus, de cõfessio-  
ne, de Missæ sacrificio, de oratione pro fidelibus defun-  
ctis, de Sanctis in cælo regnantibus, de aliis confessionis  
nostræ articulis summa animi constantia docuistis, &  
tanquam Apostolicum depositum fideliter Ecclesiis  
tradidistis, literisque consignastis?

AB Apostolis Ecclesiam accepisse Baptisma paruu-  
lorum scribit sacer ille Irenæus, beati Polycarpi Ioan-  
nis Euangelistæ discipuli auditor, aduersus Valentini  
hæreses lib. 2. & Origenes libro 6. Commentariorum in  
Epistolam Pauli ad Romanos.

AB INITIO in Ecclesia ex Apostolica traditione  
obseruatum fuisse, vt aqua fontis baptismalis consecra-  
retur, & baptizati Chrismate seu oleo in altari sanctifi-  
cato inungerentur, antiquissimos & verissimos testes  
habemus Dionysium in Hierarchia Ecclesiastica, Cle-  
mentem in Recognitionibus, Magnum Basilium in li-  
bro de Spiritu sancto, & Tertullianum in libro de Ba-  
ptismo.

VETV-

DE TRADIT. APOSTOLICIS.

VETVSTISSIMAM Ecclesiæ traditionē, D. Augustinus scribens ad Valerium dicit, esse illam, qua ante Baptismum exorcizantur & sufflantur paruuli; & diuus Chrysoctomus nihil hac voce dicit esse tutius: Abrenū-  
tio tibi Sathanæ; si ipsam per opera exhibeamus.

CONFIRMATIONIS Sacramentum, quod soli dispensant Episcopi, totius orbis consensu, instar præcepti, receptum esse, contra Luciferianos sanctus ostendit Hieronymus.

*Confirmationis  
Sacramentum.*

Sic cum nullus hæreticorum, licet pertinax, constitutionem humanam citare possit, ex qua conuincatur Cōfessionis Auricularis ortus, restat, vt ad Apostolicum depositū ea necessariò referatur, quemadmodum D. Clemens, beati Petri discipulus, ab ipsis Ecclesiæ ini-  
tiis in suis Recognitionibus fuisse commemorat.

*Confessio pri-  
uata.*

EPISCOPORVM, Sacerdotum & Minorum ordinum, vt vocant, officia ex traditione Apostolica fuisse, Ignatius epistola 8. ad Antiochenos, Dionysius 3. capite Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Clemens in Epistola ad vniuersos, & Anacletus in decretis suis, eius rei tanquam in Ecclesia iam receptæ, meminerunt.

*Ordines sacræ.*

MISSE Sacrificium, quod est diuini erga nos amoris pignus, salutis pretium, hostia incruēta, mortuorum præsidium, viuorum fœlicitas, vberimus bonorum omnium fons, à Christo fuisse institutum, ab Apostolis celebratum, ab vniuerso Christiano orbe receptū, Ignatij verba ad Smyrnenes clarè confirmant: Diuus quoque Chrysoctomus cum aliis item profitetur.

*Misse sacrificiū.*

*Chryf. in Missa.*

VT IN tremendis mysteriis defunctorum ageretur commemoratio, ab Apostolis sancitum esse, testatur Chrysoctomus & Epiphanius.

*Oratio pro de-  
functis.*

*Epiph. in Ana-  
ceph. Chryf. ad  
pop. Antioch.*

O R A T I O

*Afferuatio Eucharistia.*

SACROSANCTAM Eucharistiam conseruandam atque in sacratio cum timore & tremore reponendam esse, Diuus Clemens vt Apostolicum præceptum proponit.

*Phil. de Vita contemp. sup. Clem. in constitut. Apost. Can. Apost. 72. Euslib. 2. ca. 16. Psalmorum decantatio.*

SACRORVM locorum, vestium & vasorum vsus ex Apostolico esse deposito, testis est Philo, Clemens, & Eusebius in historia Ecclesiastica.

DE scripturis & Psalmis canendis, & ipsius Domini & Apostolorum habemus exempla, ait D. Augustinus ad Inquisitiones Ianuarij: Et D. Cyprianus in expositione orationis Dominicæ; horas Canonicas etiam in veteri lege obseruatas, ex Daniele demonstrat.

*Aqua benedicta.*

AQVÆ benedictæ vsus, constitutiones Apostolicæ & Beatus Alexander huius nominis primus, confirmant.

*Inuocatio & Generatio Sanctorum.*

SANCTORVM venerationem & inuocationem, non esse recens Ecclesiæ institutum, sed Apostolicum depositum, ex Cyrillo contra Iulianum, & Lyurgia B. Iacobi clarè colligi potest.

*Imagines sacra.*

V S V M diuinarum imaginum in Ecclesiis ab ipsis Apostolorum temporibus continuo ad hæc vsq; tempora decursu seruatum fuisse; Socrates & Eusebius testes sunt locupletissimi; Secunda quoque Synodus Nicæna, quæ est septima generalis, Apostolicis historiis & sanctissimorum Patrum sententiis & exemplis manifestè confirmat.

*Ieiunium quadragesimal.*  
*Ambros. Basil. de ieiunio.*

*Cyprian. de tentatione Christi. Hieron. epist. ad Marcellum. August. epistola 9. ad Ianuar. Rom. 1.*

QVADRAGENARIVM Ieiunium non tanquam ab hominibus constitutum, sed vt diuinitus consecratum, & Apostolorum ordinatione traditum, Cyprianus, Basilus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus & orthodoxorum Patrum chorus nobis commendârunt.

SAN-

DE TRADIT. APOSTOLICIS.

SANCTAM Romanam & Apostolicam Ecclesiam Apostoli ore laudatam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram esse, omnes omnium ætatum Patres constanter docuerunt & defenderunt.

*Vide Saderum  
de visibili Eccl.  
Monarchia.*

SED vt vela contraham, dixi, non quæcunque poterã; neq; enim id tempus tulisset, neq; omnia in vnum locum congerenda ac simul diffundenda erant: sed ex infinita copia eorum, quæ dici possunt, ex testibus omni exceptione maioribus, & qui ante mille ducentos annos vixerunt, satis probauimus & planum fecimus, summa deuotione semper in Ecclesia non tantum Scripturam receptam, sed & illa, quæ de Apostolica traditione, & de Spiritus sancti prodierunt disciplina, piè & sanctè obseruata fuisse. Atque ideò de ea Augustinus ad Inquisitiones Ianuarij tradit: Insolentissimè est, inquiès, insanix, reuocare in dubium, quæ tota per orbem frequentat Ecclesia, aut de his disputare, num facienda sint: Illa enim, quæ in canonicis Scripturis non continentur, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur, inquit, intelligi, vel ab Apostolis ipsis, vel à plenariis Conciliis (quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas) commendata atque statuta retineri.

*Augustin' epi-  
stola 119.*

NON sunt igitur, Auditores, quæ nunc in Ecclesia obseruantur, & in Professione nostra Catholica proponuntur, nuper nata, & humanis artibus in illam inuenta; sed sunt verissima, sunt vetustissima omnia, & ab Apostolico Magisterio sanctè per manus nobis quasi tradita. Athenienses & hæretici rebus nouis studuerunt, non Catholici: Et Aphrica, vt aiunt, semper aliquid noui affert, non Ecclesia, quæ, secundum Concilij Nicæni

*Non sunt abu-  
sus & supersti-  
tiones, & Chem-  
nitius negatur  
in examine  
fol. 297.*

O R A T I O

Nicæni elogion, ὃ ἀνεπίληπτον ἐκδικεῖ, quod irreprehen-  
 sibile est, defendit, & concreditam sibi Catholicam  
 veritatem custodiens, id imprimis curat, vt Apostolicæ  
 Fidei talentum purum illibatūque seruetur, & inui-  
 olatum consignetur posteris. Imò verò non modò res  
 nouas, sed prophanas vocum nouitates Romana exe-  
 cratur Ecclesia, illas nimirum, quæ nihil sacri, nihil re-  
 ligiosi habent, & quæ à Catholicis penetralibus & à  
 templo Dei penitus extraneæ sunt, & falsum scientiæ  
 nomen sortiuntur. Vnde Spiridion Cypri Episcopus  
 Triphyllium Ledrensem Episcopum, virum alioqui &  
 eloquentem, & in lege Domini non obscure versatum,  
 publicè & grauitè ob vnā factorum nominum vo-  
 cem reprehendit: Cùm enim Triphyllius conuentu ce-  
 lebrato rogatus, vt ad populum verba faceret, dictum-  
 que illud Saluatoris in medium adducere deberet: Tol-  
 le grabatum tuum, & ambula; Scimpodem, id est, le-  
 ctum humilem dixit; Spiridion id iniquo animo ferens:  
 Tūne (inquit) melior es illo, qui grabatum dixit, vt  
 verbis eius vti pudeat? Quod cùm dixisset, sede sacer-  
 dotali, populo vidente, exiit, atque hoc modo Tri-  
 phyllium eloquentia arroganter se efferentem ad mo-  
 destiam erudiuit. Nec temerè in Concilio Constanti-  
 nopolitano sexto, actione duodecima, sancta monet  
 Synodus, omnino necesse esse, non solum secundum  
 sensum sequi sanctorum Patrum dogmata, sed & iisdem  
 vocibus vti cùm illis, nihilque penitus innouare.

*Sax. om. libr. 1.  
cap. 11.*

*Chemnit. in ex-  
amine fol. 297.  
¶ 299.*

M A G N V M est igitur & impudens Sectariorum no-  
 stri temporis mendacium & calumnia, qui in locum di-  
 uinæ Scripturæ traditiones ex hominum commentis  
 confictas, Pontificios inuexisse blaterant. Nos enim,  
 quot-

DE TRADIT. APOSTOLICIS.

quotquot censemur Catholici sacrosanctam Scripturam, velut diuino ore dictatam & Spiritus sancti afflatu conscriptam, religiosè admodùm veneramur & colimus, nec non traditiones tam Fidei quàm morum, Christi Spiritu per Apostolos continua successione in Ecclesia conseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipimus. Qui enim Scripturæ primum tribuunt authoritatis diuinæ locum, ei Apostolicas subdentes traditiones, quoniam, obsecro, pacto censerì nedum accusari, nisi calumniosè aut veriùs Sycophanticè queant, in locum diuinæ Scripturæ inuexisse traditiones humanas? Nullas enim humanas & pharisaicas agnoscimus, teneamus aut profiteamur traditiones, vt ostensum est, & cum D. Hilario concludimus: Humanis traditionibus non esse locum in rebus diuinis, propterea quòd sint hominum, non Dei plantatio. Christus Saluator quoque docet: Frustramè colunt mandatis hominum. Non enim voluntate humana, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei, dicit D. Petrus; nec ex humano & priuato instinctu nata & instituta sunt, quæ, ab ipsis vsque Christianismi incunabulis, toti Ecclesiæ Catholicæ, matri nostræ dulcissimæ, tradita, & tanquam æternæ salutis depositum assignata, siue potiùs legata sunt: Ea autem Euangelicæ veritatis & Christianæ religionis doctrina est, quam Catholicus Christi populus toto orbe concorditer in vna Fidei Euangelicæ cõfessione dispersus, viuis Apostolorum oraculis, didicit, profitetur, propagauit, obtinet, æternumque obtinebit.

Nec, etiamsi non expressè & ad literam in Scripturis omnia proponuntur (vt patet de die Dominica, de descensu Christi ad inferos, atque similibus) & non

D ita

*Quid orthodoxi  
de sancta Scri-  
ptura sentiant.*

*Contra Chem-  
nitij calumniã.*

*Matth. 23.*

*2. Petri 1.*

*Traditiones Apo-  
stolicae non sunt  
S. scripturae, con-  
trariae. Et Chem-  
nitius blaterat  
in Exam. fo. 398.*

ita euidenter, vt refractariis aut contentiosis facere queant satis, inde colligi possunt: tamen Catholici affirmamus, esse illa ex scripturis orta, & in illis fundata, nihilque contra illam agere, nihilque nos, quod peregrinum & adulterinum esset, inducere, dum, quæ Apostolico deposito Ecclesiis vbique omnibus, magno consensu tradita reuerenter obseruamus, posteris facta tecta transmittere fatagimus.

VALEANT igitur mendaciorum patroni, qui humanas doctrinas nuper natas, nos defendere & recipere, plurimis cum maledictis inexhaustisque conuitiis, nobis obiicere non desinunt.

*Plaustra mēda-  
ciorū ex Chem-  
nitio folio. 297.  
241. 253. 255. 84.*

VALEAT Chemnitius, Concilij Tridentini (si Christo placet) examiner, hoc est, totius orbis Christiani censor superbissimus, qui, ob sophisticam impudenter fingendi atque illiberalissimè mentiendi artem, contra conscientiam suam, mira nefariaque Catholicis affingit mendacia, & calumnias multò manifestissimas, dum homo impudentissimus euomere non erubuit, per hæc Apostolicas traditiones omne genus corruptelarum, abusuum, superstitionum, in Ecclesiam aut inuehi, aut defendi, atq; ideo Papam Romanum non esse veritum nouam fabricare scripturam canonicam.

R V R S V S, Synodum Tridentinam affirmare, ex Apocryphis libros se facere canonicos: Denique Decretales Romanorum Pontificum, hominumque vanas traditiones non tantum æquari, sed præponi scripturæ Canonicae, idque manifestissimo crimine falsi.

O N V G A T O R E M impudentissimum: ô calumniatorem mēdacissimum: Quis enim, qui vel à limine Catholicorum scripta salutauit, contrarium non legit? non vidit?

DE TRADIT. APOSTOLICIS.

vidit? Verùm nos istas putidas calumnias silentio malumus obruere, quàm pro merito persequi, cùm suamet vanitate sese iugulent, & verissimum sit Esaiæ Prophete dictum: Mendacium posuerunt spem ipsorum. Esaï. 28.

Nos enim potiùs, Auditores, cum magno illo Basilio nostri quoque temporis statum miserrimum deplorare debemus: Vnum, inquit ille, iam crimen est, quod vehementer punitur, si paternas quis traditiones diligenter obseruet. Non impugnamur propter pecunias, non propter gloriæ splendorem, non propter aliud aliquid rerum temporalium; sed propter communem thesaurum, propter hæreditatem paternam, propter sanam fidem in acie & certamine stamus.] Basil. epist. 17.

Q V O D autem nobis quoque nunc obiicitur crimen grauius, quod acerbius, quàm quod ille suo tempore piis obiectum esse queritur? Nunquid non hoc solo nomine, ab istis, quorum animos pestiferum opinionum suarum virus afflauit, rei pronuntiamur grauissimi criminis, Idololatriæ & Apostasiæ, quòd paternas retinemus traditiones, quòd non temerè discedere nos ab eis oportere persuasum habemus, quod nouitatem detestamur, quod τὰς παραδιδόμενας υἱσείας, vt Gangrense loquitur Concilium, καὶ τῆσιν defendamus; quod, quæ patrum labore in Ecclesiæ Paradyso, Dei agricultura, sata sunt, nostra industria colantur, floreat, maturescant, proficiant, perficiantur; quòd fidem illorum non denegamus, quorum victorias & triumphos prædicamus, laudamus, commendamus? Verùm quæ in tantis hæresum procellis, in illis errorum fluctibus, in tanto traditionum contemptu oriuntur mala & incommoda? Hæc ipsa D. docet Basilius: Interea (inquit) rident nos



infideles; nutant, qui modicæ sunt fidei; Fides ipsa in ambiguum vocatur; ignorantia mentibus offunditur, propterea, quòd formam ac speciem veritatis prætexūt qui versutè sermonem adulterant. Silent omnia pia docentium ora; resoluta verò est quæuis blasphema lingua, prophanata sunt sacra, domos orationum fugiunt, utpote, in quibus impia docentur: In solitudinibus verò degentes manus suas ad Dominum de cœlis cum gemitibus & lachrymis extollunt.

O DIVINE Basili, quàm tua sunt omnia dicta & cogitata verissima: In hæc similia (proh dolor) nos quoque tempora referuati sumus, quæ dolentes illachrymantesque deploramus.

VERVM enim verò nobis priùs omnia Deus eripi patiatur, quàm hanc mentem, qua semel nobis deliberatum est, ipsius auxiliante gratia, cum antecessoribus nostris, quorum nomina in libro vitæ consignata sunt, omnia priùs & facere & pati, quàm ut, quod totius Ecclesiæ admirabili quodam consensu siue scriptum siue traditum sit, reiiciamus; imò etiam si angeli è cœlo delapsi aliud persuadere conarentur, impetrare non poterunt; ut, quod per multos testes primò receptum & approbatum est Euangelium, prodamus perfidi, deseramus ingrati. Audiemus potiùs per D. Paulum loquentem verum Dei spiritum. Itaque, fratres, stete, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem siue per epistolam nostram. Audiemus eundem spiritum per Athanasium quoque monentem: Qui ea, quæ ultra vires suas, indagat, in præcipiti consistit; qui verò traditionibus inhæret, extra periculum versatur: Suademus igitur, inquit, vobis, quod & nobis ipsis suademus,

*e' Thess. 2.*

*Athan. de in-  
carn. Scrib. Dei.*

DE TRADIT. APOSTOLICIS.

vt traditam fidem retineatis. Sequemur D. Antonium Eremitam, qui, cum annos centum & quinque perquam sanctè vixisset, cuiusque animus iam iam liber & solutus è corporeis vinculis exilire cuperet, hoc memorabile dictum, velut testamentum volens condere, inter vltima mandata suis commendauit: Custodienda est pia fides in Christum, & Patrum religiosa traditio.

*Arhanas. in Vita Anton.*

DEFENDEMVS denique, Auditores, potiùs beatorum nostrorù Patrum fidem, quam omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti, omnes casti & continentes virgines, omnes clerici, Leuitæ & Sacerdotes, tot confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot Insulæ, Prouinciæ, Reges, Regna, Gentes, Nationes, Totus postremò iam penè terrarum orbis Christo capiti per Catholicam fidem incorporatus, tam longo seculorum tractu receperunt, retinuerunt, & ad nosque vnanimiter propagarunt: Præclarè siquidem à Platone quoque, libro septimo de legibus, nostræque religioni conuenienter, vt Iustinus martyr testatur, traditum & disputatum est, omnes homines eas leges venerari solere, vererique in illis quicquam nouare, in quibus aliti, educati que essent, & quæ diuina quadam sorte multis seculis immutabiles permansissent, neque eas recordarentur, nec audissent vllò tempore aliter habuisse.

CVM enim Melanchthon, Proteo mutabilior, magna iniuria affici putat Lutherum, Pomeranum, quòd Osiander promissionem vel professionem, in qua promouendi VVitebergæ in Augustanam confessionem toties mutatam iurare coguntur, ante annos ferè viginti, viginti inquit, institutam grauiter reprehendat, qua

*Melanc. in orat. contra Osiandrum, qui reprehendit iuramentum VVitenberg.*

O R A T I O

fronte confessionem fidei nostræ Catholicæ, iam inde ab Apostolorum temporibus ultra annos mille quingentos in Ecclesia Dei propagatam & purè conseruatam, sine summa Dei & seruorum suorum iniuria, Apostatæ nostri reiicere possunt? Si Sturmius Rector Scholæ Argentinensis, in Antipappo suo secundo, Pappum eiusdem ciuitatis concionatorem & professorem, Æsopicam Ranulam, inflatum, stultum, vix è iuuenibus ad viros progressum ætate, nondum pubescentem doctoratu suo, inhumanum, inuidia, æmulatione, insolentia & gloriatione tumidum, inflatum, aliisque verbis iniuriosis appellitet, quòd tot Pastores, tot Ecclesias sexaginta, sexaginta, inquit, annorum, quæ modò Caluino, modò Bucero, modò Melanchthoni adhæserunt, condemnet & anathemate percutiat: Quid, quæso, de illis ipsis agendum & pronuntiandum erit, qui sanctissimorum patrum sacrosancta deposita, & Apostolicos viros, qui, quòd propiùs aberant ab Ecclesiæ ortu, eò clariùs veritatem Euangelicæ doctrinæ viderunt, & suis eam scriptis illustriorem posteritati tradiderunt, tam audacter damnant, blasphemant, reiiciunt, & suarum opinionum commenta, tanquam diuina quædam oracula, admirantur, prædicant, adorant? O nefaria hominum improbitas & intolerabilis superbia: O summa hominum cæcitas.

*ioan. Sturmius  
In Antipappo.*

*Epitheta Pappi.*

*Antiquitas religionis.*

*Ambrosio. Serm. 93.  
in natali S. Mar-  
tyrum Nazarij  
& Celsi.*

Nos enim multò magis cum D. Ambrosio nouerimus, non sine discrimine de Religionis veritate dubitandum esse, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem fidem, quasi nouellam, discutere præsumas.

DE TRADIT. APOSTOLICIS.

sumas, & post tam manifestos duces in errore permanas, & post morientium sudores otiosa disputatione contendas.

Ad hos enim diuinos viros doctrina, sanctimonia, miraculis celebres, & ad ea, quæ ab Apostolis accepta nobis fideliter tradiderunt, nostros remittimus; non ad nouellos & contentiosos istos Matheologos, qui nulla pietate, nulla eruditione ornati, nouitate suspecti, nihil nisi veritatis pollicitationem habent, qui inter se non consentiunt, & plerunque aliud sedentes, aliud stantes temerè loquuntur & impiè effutiunt.

*Augusti. contra  
epist. funda. c. 4.*

HABEANT igitur isti verborum magistri, nugarum architecti, fabularum patroni, suos diuersos & nuper natos contentiosos Doctorellos sexaginta vel viginti annorum, de quibus gloriantur; perfricent frontem, si quam habent; & se vlla ex parte cum nostris sacris Doctoribus conferendos esse prædicent. Eat Schmidelinus ad facinorosos, ad maleficos, ad carceres, ad rotas, ad patibula; & cum apud capitis supplicio damnatos, vera Theologia discatur, quam Philosophicæ speculationes prorsus ignorant (hisce namque verbis in Oratione, de instauratione studij Theologici, vel potius Matheologici V Vitebergæ habita suos instituit) ad satietatem vsq; conferat Euangelium suum cum istis nebulonibus, & ipsorum cruentas & tristes tentationes cognoscat.

*Andrea Schmidelinus orat. de  
instauratione stud.  
Theol. fol. D. 1.*

RETINEANT denique miseri isti homunculi lucernam sub modio, mundi que tenebras; cum Apostolorum doctrinam, quæ lux mundi est, & super candelabrum posita, non recipiant: Dati enim sunt in sensum reprobum, vt nec rationibus conuincantur, quia non intelligunt; nec autoritatibus corrigantur, quia non recipiunt;

recipiunt, nec flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt.

SED vt dicendi finem faciam, Auditores; Satis superque ex sacra scriptura & Apostolicis Doctoribus demonstratum esse mihi persuadeo, non omnia, quæ in quæstionem venire possunt, oraculis diuinis expressa; sed Christianam doctrinam, quæ cuiq; ad salutem profitenda est, partim scripto, partim verbo, seu viua voce à primis fidei nostræ magistris Apostolis traditam, ac in Ecclesia porrò semper conseruatam esse, hodieque nos illam ipsam purè & sanctè in Professione Fidei Catholice retinere & confiteri.

Nos enim non illa tantùm, quæ in sacra scriptura secundùm literam continentur, integrè & sanctè amplectimur, suscipimus, veneramur: Sed quoque libenter credimus, & constanter fatemur, cœleste illud verbum, quod ex ore Christi, qui est splendor patris, processit; à quo voluit Deus spem omnem pendere mortalium; quod in corda potiùs nostra, quàm lapideas tabulas voluit incidere, non omne fuisse iis monumentis scripturarum, quæ nunc habemus, comprehensum. Credimus hac in re Apostolis, Euangelistis, Ecclesie antiquis patribus Græcis atque Latinis id asserentibus: Credimus Euangelis, quæ Christum filium Dei nihil scripsisse, sed & viua voce, & exemplo innocentissimæ vitæ, diuinæ sapientiæ arcana, & bene viuendi formam mortalibus tradidisse assenerant: Credimus Christi legatis, quos in vniuersum orbè ipse misit, sicut ille missus erat à patre; quos audiendos; quibus eam, quam sibi, fidem adhibendam esse dixit; qui multa nobis, quæ scripta non sunt, quasi per manus posterorum tradiderunt: Credi-

*Ioan. 20.*

DE TRADIT. APOSTOLICIS.

Credimus Ioanni, discipulo Christi charissimo, multa *Ioan. 6. 1.*  
Christum docuisse, quæ consignata literis non fuerunt,  
sed tradita viæ vocis oraculo: Credimus deniq; Paulo *2. Theß. 2.*  
Apostolo, qui verbum illud diuinum non literis solùm,  
sed traditionibus definiuit.

DAMNAMVS itaq; reicimus & anathematizamus *Hereses, quas de  
fendunt nostre  
sectarij.*  
in Professione Fidei nostre, quam Iuramento confirma-  
mus, non ex priuato aut fallaci iudicio nostro, sed cum  
sancta, Orthodoxa, Catholica & Apostolica Ecclesia,  
quæ est sponsa Christi, quæ est arca Noë, quæ errare non  
potest, extra quam non est salus, cum illa, inquam, reii-  
cimus veteres & novos hæreticos, & à vera religione  
apostatas, Arrianos qui nihil extra scripturam recipere  
& credere voluerunt: Armenos, qui septem esse nouæ  
legis Sacramenta negarunt: Henricianos & Pelagianos,  
qui Baptismum paruulorum reiecerunt: Nouatianos,  
qui post Baptismum tam cæteras cæremonias, quàm si-  
gillo Domini ab Episcopo obsignari, recusarunt: Au-  
dæanos, qui confessionem sacerdoti factam irriserunt:  
Heracleonitas, qui extremam vnctionem; & Massilia-  
nos, qui sacros ordines in Sacramentorum album non  
admiserunt: Manichæos, qui præter solas orationes, pu-  
blicum nullum sacrificium receperunt, Nestorianos,  
qui, Eucharistiam extra vsum Sacramenti non habere  
corpus Christi protulerunt: Donatistas, qui chrisma  
contempserunt, altaria confregerunt: Aërianos, qui  
orandum & offerendum pro defunctis esse negarunt:  
Iouinianos, qui indicta ieiunia contempserunt: Vigi-  
lantianos, qui cleri cælibatum, reliquiarum veneratio-  
nem, Sanctorum inuocationem, Eleemosynas in loca  
pia collatas, & votum religionis impugnarunt: Psallianos  
E &

& Petrobrusianos, qui horarum Canonicarum pensum è templis eiecerunt: Iconomachos, qui Christi & Sanctorum imaginibus bella intulerunt: Acephalos, qui nullum visibile Ecclesiæ in terris caput agnouerunt; & similes denique Romanæ fidei hostes, squalidosque cætus, iam olim & nunc legitimè damnatos, reiectos, anathematizatos: Et non immeritò: Quis enim, salua conscientia sua, salua Fide & traditione Catholica & Apostolica, salua diuinæ scripturæ autoritate, monstrosas illas hæreses & ex veteri hæreticorum sentina natas, atque è fœtidis sepulchris rursus extractas, multisque antea seculis totius Ecclesiæ iudicio & decretis damnatas, pro Euangelio, pro puro verbo Dei recipere, defendere & propagare posset? Nõne D. monet Hieronymus, quòd hæreses ad originem suam reuocasse, refutasse est? Nõne illorum hæreticorũ scripta & labores periêrunt omnes, adeò quidem, vt ex innumerabilibus erectis librorum aggeribus, præter turpè autorum memoriã, quorum nomen cœlis abominabile, terris inuisum est, superuiuat nihil? Verbum enim Domini manet in æternum. Quis præterea traditiones diuinas, & præcepta Apostolica, tam longo seculorum serie, tot sacrorum Conciliorum & Doctorum autoritate firmata temerè reiiceret? Quis illam viam, quam Apostoli, Martyres, Pastores, tot doctissimi & sapientissimi homines ingressi sunt, quam & Christi & Martyrum sanguine tinctam & notatam videt, imprudenter desereret, & pertusas ac dissipatas cisternas sequeretur? Quis deniq; non mallet in sanctissimo matris Ecclesiæ gremio, quæ columna & firmamentum est veritatis, consentientibus animis in yna eademq; doctrina, in eadem spe, in iisdem charitatis vinculis,

*Cur Catholici  
in professione  
vera fidei veteres  
& nouas hæreses  
excreantur.*

DE TRADIT. APOSTOLICIS.

vinculis, & amoris flammis, Christo capiti adhærere, atque inter tot hæresum monstra, dulcissima & optatissima pace perfrui?

HÆC namq; sunt, quæ pacem & tranquillitatem publicam nutriunt, prophanas vocum nouitates damnant, Ecclesias & Respublicas conseruat, & religiosa quadam necessitudine, quæ Christi glutino copulata est, animos coniungunt.

QVOD enim inclyta hæc viget Academia, quod floret, quod beata est, quod inter tot lapsas misereq; iacentes Germaniæ Academies, quæ grauissimis & mutuis de religione concertationibus agitantur, & more Cyclopæ, de quibusdam tricis & voculis inter se digladiantur, pulchrè consistit, ac veluti excelsa domus, super firmam petram fundata perdurat immobilis, totque iam annos (quodei Deus Opt. Max. proprium ac perpetuum faxit) iucundissima tranquillitate perfruitur; aliunde id fieri creditis, quàm quod in vna & Apostolica fide vnanimiter permansit, & semel susceptam Iesu Christi Seruatoris nostri doctrinam, maxima constantia puram incorruptamque seruauit? O sancta hæc Academia, quæ, cum spinis & vepribus hæreticorum vndiq; sit circumsepta, nihil tamen eorum aculeis offenditur, nec de statu suo dimouetur, & quamlibet oppugnatur, nõ expugnatur. O sanctum Collegiũ, in quo retinetur vnitas in vinculo pacis, in quo Apostolicæ Fidei professio corde & ore editur, vt id ipsum dicant, id ipsum sentiant, idẽ sapiant omnes, atq; concordēs honorificent & adorent Deum

& Patrem Domini nostri IESU CHRISTI,  
qui est benedictus in secula.

D I X I.




Orationē hanc de Apostolicis & Ecclesiasticis traditio-  
nibus tutò, imò & vtiliter typis mandari posse cenſeo


ALBERTVS HUNGERVS Theol. D.  
Procancellarius, & Collegij Theologici pro  
tempore Decanus.


Iudicium alterius cuiusdam Celeberrimi viri, & de Ecclesia  
Christi optimè meriti, ad Amicum N. N. de hac  
Oratione Apologetica.

ORATIONEM de traditionum, vi & autoritate, ad finem vsque  
summa cum voluptate perlegi, quam ego typis dignissimam iudico.  
Non ego putassem materiam adeò late patentem in tanta breuitate  
tam dilucidè & perspicue comprehendi posse. Fucunda est etiam col-  
latio illa ad locos controuersos, quos ferè omnes traditione cõfirmari  
demonstrat. Tum verò illud perstringit aduersarios vehementer,  
quòd qui contrarium senserint, damnatissimi omnes fuerint here-  
tici.











Orat  
+ a

38